

ALIVD.

NON celebrem facit esse locus, sed enim locus ipse
Sapè potest docto clarior esse viro.
Caesaris hospitio cen quondam splendida facta est
Rustica, gramineo cespite operta, casa.
Hand secus obscura Natalia rura **BALINGAE**
Claruerant, cunis, docte ꝛ **ACOBETIS**.
Multa etiam **VVAIBLINGA** tibi & **Neustadia** debent,
Hic ubi Ludorum rite **Magister** eras.
Plura tamen **Reütlinga** tibi debere fatetur
Urbs vetus, in **Suguis** condita limitibus.
Tum quòd te **Ludi** Rectorem nacta fuisset,
Tum quòd sit versu clara futura tuo.
Surgit opus, **Reütlinga** faue, date candida ciues
Omina, leticia signa iterate noue.
Mœnia nam docto tentat describere versu
Vates **Frischlinus** vestra: **FAVETE SENES**.
Ille locus priscos & nomina priscalocorum,
Et vallem, & vitreas carmine pingit aquas.
Et **Marie** Templum sublimi sede locatum,
Et sacra, & sanctos religionis viros.
Quodq; urbes inter cunctas **Reütlinga** **Süenas**
Sit prior ad **CHRISTI** connumerata gregem.
Urbs **Reütlinga** faue, quod namq; hic virium habebit
Carminis, hoc laudi cesserit omne tuae.
Tuq; adeò **FRISCHLINE** mihi iunctissime Vates
In patriam salve terq; quaterq; redux.
Hanc etiam porrò versu celebrare memento,
Ingenuo maior fiat ut illa tuo.
Sic Patriam ornauit frater **NICODEMVS** & urbes,
Per quem nobilius **Suenia** nomen habet.
Nitere, sic etiam, clarus post funera fies,
Morte obitâ demùm qui viget, **ILLE VIGET**.

Tubingæ Cal. Maijs, Anno 99.

M. Georg-Conradus Maiccler, Enderspachensis
ad Rembum, S. S. Th. St. f. a. c.

A

Paro-